

**Dissertatio medica inauguralis, de sudore annuo spontaneo / [Ernst
Gottlieb Oheimb].**

Contributors

Oheimb, Ernst Gottlieb.
Alberti, Michael, 1682-1757.
Universität Halle-Wittenberg.

Publication/Creation

Halae Magdeburgicae : Typis Christiani Henckelii, 1721.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/bh8tr9qw>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

SUDORE AN- NUO SPONTANEO,

QUAM

DEO PROPITIO

ET

GRATIOSÆ FACULTATIS MEDICÆ CONSENSU,

PRÆSIDE

DN. D. MICHAELE ALBERTI,

POTENTISS. REGIS BORUSSIÆ CONSILIAR. AULICO, MEDI-
CINÆ ET PHILOS. NATUR. PROFESSORE PUBLICO ORDINARIO, ACA-
DEM. CÆSAR. NAT. CURIOS. COLLEGA,

FACULTATIS MEDICÆ DECANO SPECTATISSIMO,

PATRONO AC PROMOTORE SUO CUM HONORIS
CULTU PROSEQUENDO,

PRO GRADU DOCTORALI

Summisque in arte Medica Honoribus, Insignibus ac Privilegiis
More Majorum Solenni obtinendis,

Horis ante & pomeridianis, Die Octobr. MDCCXXI.

Publicæ ventilationi submittet

ERNESTUS GOTTLIEB OHEIMB,

URATISLAV. SILESIUS.

HALÆ MAGDEBURGICÆ,

Typis CHRISTIANI HENCKELII, Acad. Typogr. 1721.

AUGUSTÆ URATISLAVIENSIIUM
REIPUBLICÆ

PATRIBUS CONSCRIPTIS,
PERILLUSTRI

D N. PRÆSIDI,

NEC NON RELIQUIS
VIRIS

GENEROSISSIMIS; MAXIME STRENUIS, PRÆNOBIL-
LISSIMIS, AMPLISSIMIS ATQUE CONSUL-
TISSIMIS

DNN. SENATORIBUS,
SYNDICIS,
SECRETARIIS,
DOMINIS PATRONIS ATQUE PRO-
MOTORIBUS

OMNI HONORIS CULTU ÆTATEM
PROSEQUENDIS,

DISSERTATIONEM HANC INAUGURALEM

ea, qua par est, veneratione
sacram esse jubet

ERNESTUS GOTTLIEB OHEIMB



PROOEMIUM.



Ommunis est regula

*Juris L. sec. natur. 10. ff. de R. I. O-
nus qui sentit, sentiat & commodum,
qua ipsa affirmatur illa veritas, quod
commodum & incommodum in-
ter se alternet, se invicem conse-
quatur & unum alterum temperet,*

*ne vel commodum vel incommodum excedat: ejus-
dem tenoris est illa altera regula cap. qui sentit 55. de R. I.
in 6. Sentiens onus, sentire debet & commodum: hinc inno-
tuerunt illa dicteria, nullum esse commodum, quod non secum
ferat incommodum, & nullum esse incommodum, quod non se-
cum ferat commodum: ita post lapsum in rebus humanis
commoda & incommoda inter se sunt mixta, cum ante
lapsum nullum fuerit incommodum: quoniam vero
hoc, videlicet incommodum sensui adversum est, ita
plurimi commodum petunt, incommoda fugiunt, licet
alio ordine elocutus sit Quintilianus 7. instit. c. 4. incom-
moda vitantis melior est causa, quam commodum petentis: an
vero adeo absolute, ingenuum & honestum sit suum*

commodum cum alterius incommodo promoveri, vix facile defendi & excusari potest: hinc Cicero in Lib. de offic. 3. c. 6. dicit: *suum cuique incommodum ferendum est potius, quam de alterius comm odis detrahendum*: ast B. Celeb. Stryckius in Tract. de Iure Sensuum disp. 5. c. 3. §. 18. ventilat illam quæstionem, *an in re propria cuilibet suæ utilitati etiam cum alterius incommoditate inservire liceat*: sed cum hanc quæstionem nobis hoc loco decidendam haud sumamus, in illa modo veritate persistimus, quod multorum incommodorum eventus sit salutaris ac commodus & quod per aspera & ardua ad astra aditus pateat: nemo enim coronabitur, nisi qui recte dimicaverit: *afflictio enim ipsa temporis huius, admodum parva & exigua, gloriam, quæ non finitur in secula seculorum, præparat nobis* 2. Cor. 4. v. 17. *qui seminarunt in lacrymis cum cantu metant* Psalm. 126. v. 5. *Fili memento te bona tua recepisse in vita tua, & Lazarum similiter mala, nunc autem hic solamen recipit, tu vero cruciaris*: Luc. 16. v. 25. ita commodum sequitur incommodum, & incommodum interdum excipit prævium commodum: & hic processus tam in regno mundi, quam gratiæ occurrit: Et idem quidem ordo eademque methodus in regno naturæ frequenti satis phænomeno obtingit, ubi interdum per arduas vias ad salutares exitus aditus patet: ex multis subjectis hominem seligemus, in quo plurima documenta occurrunt, quæ hanc veritatem comprobant: ipsa vita animalis post lapsum operosum & satis sæpe incommodum est negotium, in quo quotidianæ occurrunt destructiones & quasi mortificinæ: indies sanguis dissolvitur sub laborioso suo motu, quem dicunt circulatorium: in-

dies

dies succedunt exonerationes & ingestiones: indies colliguntur succi utiles & vicissim tales indies destruuntur & dissolvuntur: indies homines experiuntur simulacrum mortis & nova vita gaudent: etenim quæ hesternæ fuit existentia, non est hodierna: ita comparatæ sunt res humanæ post lapsum! per incommoda ad commoda! eximium hujus rei exemplar occurrit in prima maledictione & conjuncta benedictione protoplastorum: ita extat *Geneseos 3. v. 19. in sudore vultus tui vescitor cibo, donec revertaris in humum*: incommodum sane, durum & durum videtur, in sudore cibum comparare & tamen subinde in humum redigi & vita naturali privari: quale incommodum tanto magis elucescet, quando antecedens status beatitudinis in paradiso comparatur: evidens tamen commodum & benedictio complicatur, videlicet in sudore non perire, sed cibum, ad naturalem vitam necessarium, acquirere: in sudore non in æternum fatigari, sed ad futuram vitam, ubi nullus dolor & sudor erit, præparari: quare *B. Lutherus* in explicatione hujus loci, quod mors, licet sit præmiū peccati, tamen etiam præmiū gratiæ existat, quæ pii in æternam beatitudinem transmigrant: est vero subinde cum sudore alia salubritas aliudque commodum connexum: dum enim homines nimium & plus, quam conducit, cibum assumunt, insuper nimiam sanguinis quantitatem colligunt, tunc per sudorem & prævium auctiorem progressum sanguinis, illa superflua quantitas imminuitur, indeque naturalis vita adjuvatur, donec post exantlatos labores homo in humum convertatur & sic per amissionem naturalis vitæ atque mortem naturalem in æternam beatitudinem &

veram vitam transeat, ab altera morte liberetur & vivat in æternum: non quidem hoc loco nobis placet Sudoris secundum & præter naturam succedentis incommoda & commoda fusius exponere, illud tantum ad præliminarem hanc considerationem ducimus, quo generice indicemus, quod nullus sudor sine omni incommodo decurrat, five illud nunc majus, nunc minus existat, & quod frequentissimo exemplo sudor eximium commodum inferat: de sudore præternaturali quidem *Hipp. Sect. 4. aph. 34.* dicit: *ubi sudor, ibi morbus*; sed de hoc asserto *Fienus in Semiotica Parte altera Sect. 4. c. 3. §. 5.* dicit: *hic aphorismus ita simpliciter acceptus, non est semper verus*, id quod etiam in proximis demonstrat: quare memori mente tenendum, quod in ordinario vitalitatis negotio sudor semper medicina naturæ sit, qua materiam corpori inimicam eliminat: hinc sudore penitus deficiente, vix diu sanitatis integritas promitti posset: & si sudor ullo modo turbatur, tunc natura, rite officio suo defungens, hunc defectum alia auctiori feri exeretione compensat, velut copiosiori diuresi, alvi fluxu, Coryza &c. neque quidem extraordinarius & vulgo ita dictus præternaturalis sudor ita absolute & promiscue pro nocivo declarari meretur, cum lippis atque tonsoribus cognitum sit, quot non satis ardui affectus sudoribus curentur & quam lethiferæ recidivæ ex sudorum nonnullorum turba ortum trahant: contra vero experientia produnt, quam multi ad eximiam senectutem pertigerint, qui fuerunt sudatores, urinatores & sputatores, quibus spontaneis evacuationibus natura noxias materias a corpore amovere sivevit: ast quot non extraordi-

narii

narii & insoliti sudores cum eximio emolumento decurrunt, unde Sudorum Criticorum medici cum peculiari emphasi & commendatione mentionem faciunt, subinde etiam illos sudores tanto magis attentione dignos esse judicant, qui sponte & simul plane extra ordinem occurrere observantur, in quo actu atque processu ut plurimum naturæ benignitatem & activitatem deprecare sciunt: quod si vero singuli tales sudores curatius pensitentur, tunc quilibet suas molestias, suaque incommoda secum ducit, ut interdum ex hisce nonnulli medici inducti & seducti, reliquam indolem sudorum, ita decurrentium, præcipiti quadam dijudicatione pro noxia, perniciofa & lethifera declarent, hincque minus prospero ausu illos sudores subito opprimant: inter alia sudorum specimina singularem attentionem merentur sudores periodici, qui accurato suo recurſu etiam singularem destinationem attestantur: sed ne diutius generalioribus hisce animadversionibus inhæreamus, placuit nobis, pro Specimine Inaugurali edendo, de **SUDORE ANNUO SPONTANEO** brevibus differere: Annuat nostris conatibus divina clementia, quo veritati & arti medicæ adjuvandæ ad vota succedant & illis, quibus interest multam salubritatem afferant.

§. I.

CUm *inscriptio* præsentis Dissertationis nihil *difficultatis & obscuritatis* contineat, propterea non inhærebimus *verborum* explicationi, sed brevissimis *ipsum factum*, de quo præsens dissertatio agit, significamus: videlicet in observatione *practica* non raro obtin-

git,

git, ut nonnulli homines *anno vertente* & ut plurimum *in-
tante*, *sponte* & citra ullius *medicaminis* aut *regiminis* *dia-
phoretici* usum, *nocturnis* maxime horis *sudorem* satis *copio-
sum* atque *facilem* experiantur, qui *aliquandiu* continuat &
hac ipsa sua *duratione* *molestus*, imo plane *suspectus* evadit,
dum *sudor* talis non modo ut *accidens insolitum* agnoscitur,
sed & quando cum aliqua *enervatione* virium decurrit,
pro *suspecto* & *pernicioso* pathemate *morboso* habetur, qui
propterea illos, qui hoc *sudore* *laborant*, *angit*, ut interdum
male fidum illud consilium capiant, quo vel *laxiori* regimi-
ne, vel *positivo medicamine* talem *sudorem*, sed ut plurimum
etiam cum *eximio vite* & *sanitatis* præjudicio *cohibeant*:
Sermo itaque nobis est de aliqua *excretionis* specie, quæ a-
lias ad *vitam* & *sanitatem* hominis multum *contribuit* & quæ
in *ordinario* & *extraordinario* suo decursu multam *attentio-
nem* meretur, nimirum de *sudore*: deinde agimus de *sudo-
re annuo*, adeoque *periodico*, qui communiter ab *attentis*
Præcticis admodum *æstimatur*, uti inter alios talem perio-
dicum *sudorem* describit *Rhodius Cent. 3. obs. 74. Bened. Syl-
vaticus Consil. & Resp. Cent. 2. cons. 94. Cent. 3. cons. 46.* hoc
loco vero illum *sudorem* intelligimus, qui *anno præci-
puo vertente*, aut illo tempore occurrit, quo alias so-
lennes *mutationes* in *Macrocosmo* & *Microcosmo* obtingunt:
& hæc ipsa etiam illa *solennis periodus* est, qua cum *majori*
activitate atque *vigore* res *naturales* aliqualem *mutationem*
subeunt: denique etiam agimus de *Sudore annuo spontaneo*,
sine *artificio* aut *impetuousa commotione* provocato, sed *libe-
re* procedente, *certis* ut plurimum *horis* inchoante & de-
currente, *facili* & interdum admodum *largo* atque *molesto*
successu prædito, qui, si *rite* tractatur, *raro* damnum, ut plu-
rimum sub *incommodo* suo decursu *commodam* & *emolu-
mentum* infert, ut ita eo *majori* *attentione* & *prudentiali* tra-
ctatione indigeat: qualem vero vulgò *prærogativam* habe-
ant *sudores spontanei*, sciunt omnino *attenti* artifices,
quip-

quippe qui sudores, dum *sponte* succedunt & *certo* tempore revertuntur, atque *justis* horis progrediuntur, omnino sub peculiari *naturæ directorio* subsistunt, adeoque ad certum *scopum* tendunt; quæ ipsa natura, sicut alias in *ordinario* statu cum *sudore fragili* suo corpori subvenit & ab illo imminetia *damna* avertit, ita *extraordinaria* tali sudoris administratione ad eundem *salutarem* scopum pertingere potest, debet, imo nisi *turbetur*, communiter etiam *solet*: quare etiam attentionem meretur *Hippocratis aphor. 41. Sect. 4. sudor multus ex somno citra manifestam causam oriens*, corpus multo alimento uti, decet: si vero cibum non capienti hoc fiat, significat quod evacuatione opus sit: & hujus indolis est ille *sudor annuus autocraticus*, qui citra manifestam causam oritur & qui ut plurimum *sub somno* profluit: hujus sudoris nocturni spontanei *salutaris* inter alias mentionem facit *Leontilius in Iatromnematis Theoretico-practicis c. 80*: ex omnibus vero in hisce sudoribus rite inculcandis laudabilem operam adhibuit *Illustris Stahlus in Disp. de Autocratia Naturæ p. 28. De Erroribus Medicinæ Practicæ p. 37. 38. De Metaschematismo Morborum thes. 78.* & passim alibi: posset itaque hic sudor *Criticus* vocari, quando *Criseos*, & *τὸ κρίσις* acceptio in *latiorem* significatum extenditur & subinde intelligitur *extraordinarius* actus *naturæ*, quo mediante *singulari* studio imminetia *damna* avertit & corporis sui *integritatem* promovet: medico & genuino vero sensu hic sudor non est *exquisite Criticus*, quoniam in *legitimo* suo processu *extra febres* decurrit, cum tamen *rectius criseos* acceptio *Februm* nonnullarum decursui accommodanda veniat: interim hic *annuus* sudor ad eundem *scopum* in genere collineat, quem *criticus febrilis* sudor prosequitur, aut ad minimum prosequi debet, videlicet *conservationem corporis*.

§. II.

Quamquam vero Sudoris salubritas generalem promovere

mereretur commendationem, tamen placuit hoc *singulare specimen* sudoris seligere & specialiori studio explicare: dignum sane hoc est *sudoris specimen*, quod variis circumstantiis ab *aliis* sudationibus *discrepat*, imo *omnes* reliquos sudorū processus *sinceritate* & *utilitate* antecedit: dum enim *ordinarius* sudor *ordinariis* etiā circumstantiis satisfacit, ita hic ad *extraordinarios* casus se extendit, adeoq; extraordinaria *pericula* & *damna* avertit; deinde sudores *in morbis* occurrentes interdū *præsens* periculū expugnant, hic vero *annuus* sudor magis *præservatorius*, quā *curatorius* est, qui *imminetia* & *futura* *damna* avertit & *præoccupat*: neq; etiā per *artificia* provocati sudores aliquam *prærogantem* dignitatem præ hoc annuo sudore tuentur, cum illud opus, quod *liberè* & *sponte* natura administrat, longe *simplicius* & *utilius* existat, quam alterum, ad quod natura *impellitur* & *stimulatur*: & talis sudor eò majorem *approbationem* mereretur, quando in *subjectis compositæ* indolis & quæ *ordinata* vivendi ratione utuntur, occurrit: proinde hic sudor, si *legitime* succedit, *nullas* functionum ad *vitam* & *sanitatem* pertinentium *turbas* aut *perniciosas inversiones* infert, sed evidentem *sanitatem* post se trahit & ipso *effectu* atque *eventu* *eximiam* & *præpollentem* suam *dignitatem* comprobat, ubi tamen nonnullæ *molestiæ* conjunctæ *salutari* eventui *præferri* haud debent, cum *in hac vita* nullum *commodum* sine *omni* incommodo acquiratur, neq; tamen hic sudor cum magno & *ominoso* valde *apparatu* invadit, sed in *legitimo* suo statu admodū *placide* & *tacite* sine strepitu & impetu oritur & progreditur; quæ ipsa *dignitas* ejusdem sudoris in consequentibus eo magis elucescit: *negare* tamen minime possumus, quod *hujus sudoris* tractatio & commendatio in *schola medica* valde *rara* sit, ita ut interdum non nisi per *transennam*, *fragmenta* & transitum annotatus deprehendatur, vel pro *absolute morbido*, & *nocivo* pathemate reputetur & declare-

tur;

tur: quo adhuc spectat, quod ejusmodi *spontaneæ* operationes aut nonnunquam pro *viliori* accidenti habeantur, aut pro *infrequenti* & magis in *vanam admirationem* ducenda re æstimentur, hinc pro dignitate *non satis, exacte* expli- centur, vel *tribus* tantum *verbis* commemorentur: multi enim *genuina* naturæ operarimari pro negotio *otioso* & *odio- so* judicant, quoniam non pauci in *vera* naturæ agnitione & cognitione *cæcutiunt*; quare contingit, ut *spontaneæ* actiones in œconomia corporis obtingentes aliquando reliquis *crassis* & *crudis* alterationibus, aut positivis planè *lesionibus* & *perniciosis* effectibus postponentur, dum *paradoxum* imo *he- terodoxum* esse creditur, quod *augmenta* motuum & effectuum vitalium à *natura humana* ad *salutarem* *sepiissime* effe- ctum destinantur: cum vicissim magnum illud medicorum *idolum*, videlicet τὸ *præternaturale*, nudos *perniciosos* effe- ctus, sed *perperam*, involvat & quicquid *salubritatis* in *eventu* eminet, *obscurum* *accidenti* abscribatur: quare hoc lo- co pro illustranda & commendanda nostra tractatione le- ctu dignissimam Dissertationem *Celeberrimi D. D. Stablii de Autocratia Naturæ* iterata vice allegamus & ad nostrum propositum applicamus: optandum itaque esset, ut illud negotium in *foro medico* *majori cura* & *attentione* tractetur, quo *extraordinarii*, sed illi etiam *spontanei salutare* actus & effectus naturæ *sufficienter* & in ipsis *ca- sibus* & *observationibus specialibus* exponerentur, ut medici de *vera medendi methodo* gaudeant, neque in *diversum* rapiantur, cum reliquæ *communes* observationes multum ad *crassæ Empiriæ* exercitium contribuant, qui ve- ro *naturam morborum medicatricem* sequuntur, illi habent *cynosuram* in medicina *sinceram*, *securam* & *firnam*: conf. D. D. *Præsidis Disp. de Motibus Naturæ Cynosura Medici.*

§. III.

Quando *Historiam* horum sudorum annuorum spon-

taneorum texere nunc ordo postulat, tunc fundamenti loco ipsa *Illustris Stahlii* verba de hoc sudore prolata allegare lubet: in *Disp. de Autocratia Naturæ* dicit: sudores spontanei in *Praxi* frequentissime observantur, statis anni temporibus, certis tempestatum mutationibus sese exferentes & patientem a lassitudine spontanea & morbi alicujus propinqui expectatione, optime expedientes: cum contra quando tales sudores, alias consueti emanent, aut quibus nulli hujusmodi fiunt, arthritico-rheumaticis membrorum gravitatibus & doloribus, Erysipelati, abscessibus, tussi, asthmati, febribus, plurimum obnoxii observentur: in *Disp. de Metaschematismis Morborum* vero differit §. 78. De Sudationibus tanquam seroso-balneosa excretionem, ut aliqua dicamus, notandum venit spontaneorum sudorum, in ætate maxime jam consistente, peculiare schema: ut interdum, imprimis autem circa æquinoctia & maxime autumnale, versus diluculum sese exferant, patientibus dum erumpunt, imo etiam aliquanto plus, imprimis tamen si ipsis non satis obsequantur, lassitudinis sensum incutiant: sin autem debite ipsis indulgeant, sensim sensimque etiam iterum decrescunt, patientem revera alacrem & sensibilius vegetum relinquant: si vero ipsis nihil obtemperatur non solum mox præsentius & lassitudinem majorem & fastidia animi atque ciborum & somnos inquietos & febrilium perturbationum rudimenta formant, sed etiam familiariter Rheumatico Arthritica patibemata post se trahant: Et quanquam satis perspicue hisce verbis horum sudorum indoles proposita sit, tamen non a scopo & utilitate alienum erit, si brevibus hanc Historiam amplificemus & per specialissimas circumstantias illustremus: notandum itaque est, quod hi sudores minime rarioribus phænomenis accensendi sint, sed in praxi medica satis frequenter occurrant, siquidem varii homines sine consultatione medicorum, hisce sudoribus patienter & modeste indulgent & quibus naturæ suæ indoles & methodus agendi, perspecta est, illi cum bono regi-

regimine hujus sudoris decurfum *facilitant*: alii vero *mollioris & sensibilibus* indolis homines, mox medicos *confutunt* & vel hujus sudoris *turbationem & oppressionem*, aut non *sine damno* patiuntur, alii vicissim vel *melioribus* consiliis auscultant, adeoque majori *evidentia* illius sudoris, bene determinati & administrati, *salubritatem* experiuntur: ut ita in computatione & *collectione* triplicis hujus circumstantiæ sudor talis *non rarus*, proptereaque *majori* pensatione dignus sit: quod vero *ipsum sudorem* attinet, tunc discrepat hic ab *aliis spontaneis* sudationibus: etenim in observatione medica nonnulli homines occurrunt, qui annuis recursibus *vernali* imprimis tempore paulo *largius* non modo sudant, sed & qui plus quam alio tempore *adsudandum admodum* faciles sunt, ut diu noctuque *indiscretim* satis *copiosas* sudationes experiantur: quanquam vero & ipsa hæc sudatio *spontanea* non *noxia*, licet *molesta* sit, subinde etiam *bono regimine* indigeat, tamen ab hoc *nostro* sudore adhuc *discrepat*, siquidem hic pro *vero* suo genio non nisi *noctu*, post absolutam *concoctionem* in *diluculo* secunda aut tertia matutina hora erumpit, per *aliquot horas* insistit iterumque *desinit*, sed *proxime* per *plures* dies *recurrit* aut repetit ac per modum *paroxysmi* iisdem horis succedit: *Subiecta* quod attinet tunc illa quoad *etatem & temperamentum* conformia ad talem sudorem annuum magis disponuntur: quod *etatem* concernit, tunc in *trigesimo & consequentibus* annis constituti homines hunc sudorem experi solent: a quo vicissim *juniores & valde effæti* atque senio enervante confecti exempti ut plurimum esse deprehendantur: quare *etas consummata juvenutis, vegetæ virilitatis & consistentiæ*, aut *initiantis vigorosæ senectutis* hoc sudore corripitur deprehenditur: quoad *temperamentum* homines *porosi, carnosi, succulenti*, alias ad sudandum *prompti*, de *sanguineo* aut *phlegmatico* temperamento *prædominanter* participant, ut *sanguineo-melancholici, sanguineo-phlegma-*

phlegmatici, phlegmatico-melancholici &c. paulo familiarius hunc sudorem lubeunt, in quibus abundantia humiditatis in humoribus sive fluidis partibus & sufficiens permeabilitas sive laxitas in partibus solidis sive habitu externo adest.

§. IV.

Proinde de hoc sudore notandum est, quod non *promiscue omni* anni tempore, sed *illa* præcipue *anni mutatione* occurrere soleat, qua *solenniores* quædam alterationes obtin-gunt, *vernali* æque ac *autumnali*; multi verno tempore modo initiante, modo durante eundem experiuntur & impuritates sub *hyeme collectas* eo ipso evacuant; quod si etiam ex aliquali hujus verni sudoris *perturbatione incommoda* remaneant, tunc illa ob consequentem *æstatem* & conjunctum liberiores & *liberaliores* evacuationum successum paulo *facilius emendari* possunt, id quod de tali sudore *autumnali* sub hisce circumstantiis prædicari non facile potest: *seorsim* etiam notare convenit, quod illi homines *prædictarum* qualitatum paulo *facilius præ aliis* talibus sudoribus corripiantur, qui in *præcedentibus* temporibus *ordinarias* feri evacuationes *negligentius* curarunt & adjuvarunt, quin potius aliqua *impedimenta* circa illas admiserunt, aut qui *ægotantibus* aliis frequentius *adstiterunt* & ex illorum *impuris exhalationibus* multam *inquinacionem sui corporis* admiserunt, quæ propterea tali actu nunc ejicitur, quare *Medici & Mystæ* non raro talibus sudoribus subjiciuntur; quod etiam valet de aliis subjectis, quæ in consuetis suis negotiis multis *impuritatum* accessibus obnoxia sunt: non minus etiam tales sudores *facilius* invadunt, quando ex prægressa frequenti *tempestate humido-tepida* in ipsa humorum massa non modo *copiosior impuritas* genita, sed etiam ab extra *intra corpus* communicata fuit, quæ posthac *salutari* tali instituto & actu *uno proposito termino* eliminatur: *antequam* vero subjecta *talem sudorem* experiuntur, tunc *præcurrunt* interdum *insolitæ lassitudines* in membris aut

gra-

gravativæ molestiæ, morbidum quid præfagientes; con-
 currit aliquando *appetitus dejectio* aut *nauseabunda* ciborum
 aversio: quod si etiam *contra appetitum* cibos ingesserint,
 tunc non modo *ægrius* concoquunt, sed aliquales *cardial-*
gicas molestias & *alvinæ* excretionis *turbas* sentiunt: ipse
animus non ita *alacris*, sed magis *terpidus* & ad negotia seria
 & ardua minus *promptus* & *expeditus* est: qui de *plethora*
 participant, experiuntur *oppletoriam* quandam molestiam
 in *externo corpore*, aut interdum *operosiores* *respirationem*:
 aliquando *horridulam* molestiam cum subsequente & *alter-*
nante phlogosi sentiunt: & ita diversæ *sanitatis mutationes*
 occurrunt, ex quibus ejusmodi subiecta judicare possunt,
 quod *morbida* quadam afflictione detineantur, aut in *mor-*
bum propendeant, es hängt ihnen eine Krankheit an: nonnul-
 li simul experiuntur *capitis temulentiam* & *oppletoriam* per-
 turbationem, lenem *exæstuationem*, *siccitatem* internam, a-
 riditatem *faucium*, *siticulositatem*: pulsus nonnullis est *du-*
rus, plenus & frequens: *alvus* ut plurimum a suo *ordinario*
 statu discedit & si non penitus *obstruitur*, tamen *siccior* eva-
 dit, neque *pristinum* successum observat: *ægrius* alias su-
 dantibus non facile hic sudor obtingit, quibus per *alia loca*
excretoria materia peccans evacuari solet: subiectis *pletho-*
ricis quandoque ante hujus sudoris eruptionem *febriles*
 quædam commotiones obtingunt, cum *appetitus & virium*
dejectione, quæ *ominosa* pathemata facile *mitescunt* aut pla-
 ne *evanescent*, quando hic sudor in *legitimum* successum
 transit: & dum per hunc sudorem *multa humiditatis* seroso-
 aqueæ quantitas eliminatur, mirū esse haud debet, cur *alvus*
siccior evadat & *urinæ* excretio *imminuatur*, ni per subjun-
 ctam sufficientem *reparationem* & assumptionem *potulenti*
prædictæ alvi & urinæ excretiones adjuventur & exciten-
 tur, quamvis *frigidus* potus sub hujus sudoris processu in-
 gestus & ipsi *legitimo* illius successui & reliquis necessariis
 & *salutaribus* evacuationibus *præjudicet*: nonnulli homi-
 nes

nes *ante* hujus sudoris invasionem & *legitimam* continuationem experiuntur *lassitudinem gravativam* in externo corpore, cum molesta *tensione* & obtusa *tractione* conjunctam, quæ molestia vero perinde *cessat*, quando hic sudor in *debitum ordinem* & *successum* abit: habet proinde hic sudor hanc *peculiarem qualitatem*, ut in nonnullis singulis *annis* *periodis* revertatur, in aliquibus vero interdum per unum alterumve annum *acquiescat*: quo loco in historia practica minime oblivioni tradendum est, quomodo aliquando hic sudor cum *moliminibus hæmorrhoidalibus* alternet, ut quando *Hæmorrhoides* paulo *difficilius* procedunt, hic sudor in *vegetis* naturis *consequatur*, aut quando hæmorrhoides *verno* tempore successerunt, hic sudor *autumnali* decurrat & vice versa.

§. V.

Quemadmodum plurima hæcenus commemoratorum phænomenorum sudorem hunc, de quo nobis sermo est, *antecedere* solent, ita adhuc nonnullæ circumstantiæ ad *Historiam* ejusdem sudoris spectantes *annectendæ* sunt: quando itaque sudor talis occurrit, tunc communiter post *mediam noctem* erumpit, ubi subjecta in *præcedentibus* horis satis *tranquille* dormiunt, donec ob hunc sudorem evigilent, illiusque *liberum* successum experiantur, qui ut plurimum satis *facilis* atque *copiosus* est & sine *coacto* regimine sponte procedit, ita ut propterea *sensibilioribus* subjectis molestiam creet: neque quidem subinde *salutare* aut consultum est, cum *laxiori* regimine hujus sudoris successum *turbare*: evenit vero ut sub quolibet illius *paroxyzante* decursu tunc *somnus* *intercipiatur* & abbrevietur, id quod subjectis *mollioris* indolis perinde non modo molestum est, sed & aliqualem consequentem *animi capitis* & *virium* torporem conciliat & id tanto facilius quando antea talia subjecta quoad somnum *certis* horis *adsueta* fuere, ex cujus ita constituta interruptione aliquale *incommodum*

experiuntur: durat proinde talis sudor per unam, duas imo adhuc *plures* horas, donec successive minuatur, moxque *desinat*, ut subjecta posthac teneantur corpus udum abstergere & desiccare: remanet vero quædam *lassitudo* donec post *exiguum* intervallum temporis & unam alteramve horam *vires* quantisper *revertantur*, ut ejusmodi homines ad *consueta* officia redire queant: *altero* vero die *prædictis* horis iterum idem sudor *recurrit*, eademque ratione *decurrit*; in nonnullis subjectis *adversum* quendam odorem spargit & quoad hunc quadantenus *æmulatur* sudorem *purpuratorum*, id quod tanto certius contingit in subjectis, quæ aliquo *cacochymie* conjunctæ gradu laborant, aut quæ antea *aliorum* ægrotantium, imprimis *febricitantium* consortio fruita sunt: quid quod *largior* talis sudor in subjectis *tenerioribus*, *laxioribus* & mollioribus *dolorificas* superficiales *excoriationes* causatur: & ita contingit, ut hic sudor non modo per *plures* dies, sed per aliquot *hebdomadas* continuet: quo *largius* vero succedit, quo plus *somnum* intercipit aut *turbat* & impedit, quo *diutius* insistit & continuat, eo *majorem lassitudinem* post se trahit, ut propterea hic sudor, qui *speciem salubritatis* variis subjectis offert deinde *suspectus* evadat, cum *salutaris* sudoris *character* sit, quod *levare* & non *enervare* debeat: quando vicissim *rite* decurrit, tunc post aliquot dies *successivè*, *decrescit* & denique penitus sine ullo *incommodo desinit*, sub consecutione *vegetæ sanitatis* & *alacritatis animi* æque ac *corporis*: quo plus subjecta de *humido temperamento* participant, maximè quidem de *phlegmatico*, eo *copiosius* hic sudor effluit, eoque *diutius continuat*, quare eo minus *largior* illius decursus *promiscuè* pro *suspecto* & periculoso declarari debet: proinde pro *salubritate* hujus sudoris militat, quando ex *universa* corporis *peripheria* ipse effluit, neque in *certis* tantum corporis regionibus observatur: eo *impetuosius* etiam *ac copiosius* sudor talis procedit, quo magis cum *regimine*

diaphoretico urgetur, id quod facile eundem in *excessum* con-
jicere potest, ut propterea omnes *principales* circumstan-
tiæ requirant, quo hic fudor, ut *spontaneus naturæ* actus
tractetur, ne videlicet vel *turbetur* & impediatur, vel im-
pellatur & immodice provocetur, alias in quocunque tali
statu suo *salutari effectui* & *eventui destituitur*: utut vero
communiter talem fudorem aliqualis *lassitudo* comitari so-
let, tamen eadem cum *discrimine* attendenda est, in quan-
tum vel *transitoria* & levis vel *gravis* & *diuturna* existit: &
quando post *sufficientem* suum *successum* denique fudor
talis *cessat*, tunc non *simul* & *semel*, quando *legitime* & cum
euphoria decurrit, sed *gradatim* remittit, indiesque de-
crescit adeoque *ordinato* & *temperato* suo processu *utilita-
tem* & *necessitatem* suam obtestatur.

§. VI.

Nunc aliqua ad *Prognosticam* hujus thematis tracta-
tionem addenda sunt, posteaquam plurimæ *principales*
circumstantiæ, quæ ad *Diagnosticam* illius explicationem
pertinent, commemoratæ sunt: quando itaque hic fudor
legitime decurrit, neque in *modo*, *successu*, *quantitate*, *ordi-
ne* & *duratione* vel *excedit* vel *deficit*, tunc *evidentem* & *emi-
nentem salubritatem* affert: quando vero contingit, ut *ex-
cedat*, tunc non modo *graviora* incommoda, sed & plane
manifesta damna per ipsum hunc *excessum* causatur, velut
suspectas enervationes, *ordinariarum* reliquarum *evacua-
tionum* *perturbationes* & *sufflaminationes*, *naturalium* & *a-
nimalium* functionum *anomatias* & *privationes*, *emarcescen-
tiam* corporis, *torporem* animi, *spissitudinem* sanguinis &
connexa alia pathemata, consequentes *spasticas* commotio-
nes in *interno* & *externo* corpore, *cacochymiam*, *cachexiam*
&c. quando vicissim *defective* succedit, tunc involvit gra-
vem *torporem* in membris externis, *spasticas* tensiones in
externo habitu corporis, *oppressiones asthmaticas* pecto-
ris, *colicas* afflictiones, functionum *animalium*, *vitalium*
&

& *naturalium* anomalias, commotiones febriles, palpitatio-
 nes cordis, affectus rheumaticos & arthriticos, aliquando
 post se trahit affectus purpuratos, scabiosos, ulcerosos & si-
 miles: quando hic sudor *premature* turbatur aut *suppri-*
mitur, vel in *successu* suo cohibetur, tunc diversa *gravia*
morbida pathemata consequuntur, velut commotiones fe-
 briles, eximia membrorum *lassitudo*, animi corporis, appetitus
 dejectio, somni perturbatio, *catarrhalis* pectoris oppletio,
asthmatica afflictio, *vertiginosa* calamitas, *branchus* contu-
 max, affectus rheumatici & arthritici, vomitus, colicæ, per-
 tinaces *diarrhææ* aliaque confusa & corrupta morborum
 schemata, quæ a *longe aliis* causis non raro derivantur, &
 interdum plus *corrumpuntur*, ut *chronici*, *cachectici*, *hydro-*
pici, *edematosi* affectus, aut diversa *atonie* schemata, nec
 non *paralyticorum*, *apoplecticorum* & *catarrhalium suffocati-*
vorum, vel *asthmatico-spasticorum* utpote aliorum morbo-
 rum specimina superveniant: in nonnullis tales *turbæ*
 horum sudorum *immutant* sese in *tussiculosa* pathemata,
palpitationes cordis, *erysipelaceas* aut *rheumatico-erysipelace-*
as afflictiones: ita D. D. *Præsidi* obtigerunt diversi tales
 casus ex sudorum horum *anomalo* *successu* nati: inter
 alios patientes aliquando Vir *phlegmatico-sanguinei tem-*
peramenti oberioris staturæ, qui sudorem talem *negligentius*
 curavit, ex illius *prematura* oppressione in suffocativam
 afflictionem incidit, quæ diutius ipsum detinuit, donec
 sub multis difficultatibus vel leviter convaluit; proxime
 tamen consecuta est *asthmatica humorosa* calamitas cum
raucedine conjuncta, quæ sub multa *singularum functionum*
 imminutione diutius continuavit: imprimis hæc *morbosa*
 dispositio ad sensum *exacerbata* fuit, quoties in locum *fri-*
gidum, maxime quidem in *templum* se contulit, ubi ob *in-*
spiratam auram *frigidam* mox vox intercepta fuit & *stran-*
gulatoria quædam afflictio occupavit: quo *exemplo* illud
 tantum significare lubet, quod plane *singulares* morbi ho-

rum sudorum *turbas* excipiant, qualia *specimina* plura ex observatione *D. D. Præsidis* in medium proferre possemus, si in *casibus* recensendis multam operam multumque temporis impendere animus nobis esset: quo magis hic sudor *adverse olidus* aut *fætidus* existit, eo certius *dyscrasia* magis suspecta est, quæ in humoribus hæret, eoque majori cura sudor hic ab omni *perturbatione* liberari debet: quando sudorem hunc aliquo modo *perturbatum* moderata *diarrhæa* excipit, malum *haud* est: interim multi morbi, qui *anomalicum* hujus sudoris successum sequuntur admodum *refractarii* & *tenaces* existunt: Et hæc in *Prognosi* dicta sufficiant.

§ VII.

Proximum est quo ad *causalem* sive *Pathologicam* hujus sudoris explicationem progrediamur, ubi mox in limine notandum, quod alias sudor in *ordinario* suo processu una e *principalissimis* evacuationibus ad *vitam* humanam apprimè *necessaria* & *salutaris* existat, mediante qua non modo *fluidæ*, sed & *solidæ* partes eximie repurgantur & ab imminente *corruptione* & *depravatione* præservantur, unde *salubritas* sudoris multis argumentis facile demonstrari posset: ast cum nobis sermo sit de sudore *extraordinario* & insolito, ita facile in dubium vocari posset, an etiam in *eodem* aliquid salubritatis adesse queat, cum potius ipse *morbosum* statum præ se ferre videatur: neque quidem negandum est, quod pro *salubritate* hujus sudoris, *rite* procedentis, varia momenta militent; interim etiam minime negamus, quod ejusdem sudoris *anomalici* decursus varia *sinistra* & nociva *consectaria* post se trahant: vocamus itaque hunc sudorem *actum naturæ* extra ordinem, *stato* tamen tempore & *salutari* proposito materiam *eminentiori* gradu *molestam* & *noxiam* per *sufficientem* ac per modum *paroxysmorum* repetitam *diaphoresin*, evacuantes: eo ipso vero *negamus*, quasi hic sudor *mere fortuitus*
aut

aut *passivus* existat, quoniam *principales* circumstantiæ huic declarationi constanter resistunt: quare *spontanea* illius invasio, *periodica* progressio, *repetita* ac *justis* horis instituta continuatio, nec non *salutaris* determinatio, longe aliud iudicium ferre suadet: unde a *contrario* denuo illius *salutaris* indoles facile inclarescit, quando hic sudor vel *turbatus* vel *suppressus* pravorum consecratorum causa evadit: neque quidem ullo modo veremur, quo hunc sudorem *naturæ actum* nomine inus, adeoque illam opinionem præscindamus, quod sudor talis sui juris sit, vel a causa *morbifica* & læsione corporis dependeat, cum rectius sub *naturæ dominio*, directorio & destinatione consistat: hæc enim *natura* corporis sui *integritati* intenta est, quæ ad eundem finem *hiscæ mediis* utitur, quibus materias *pravas* & mixtioni contrarias expellit, adeoque effectum *imminentis noxæ* & corruptionis præoccupat: multum itaque interest hujus sudoris *indolem* recte annotare: qua occasione adhuc ille *scrupulus* eximendus est, ne hunc sudorem *languenti* & succumbenti naturæ perperam adferibamus, uti nonnulli in hoc sudore naturæ *imbecillitatem* accusare malunt, cum rectius *major* ipsius *activitas* laudanda & toleranda esset: male itaque ex *accidentali* hujus sudoris statu & mutatione iudicium formatur, quasi ipse propterea *prævus* & noxius censendus esset, quia per *excessum* aut *irregularem* successum suum pravarum *consecutionum* causa evadit: sed dum ex *essentialibus* qualitatibus ac conditionibus hic sudor *dijudicari* debet, ita non possumus aliter, quin ipsius *salubritatem* deprædicemus, insuperque hunc actum, ut salutarem, non *fortuitæ* alicui invasioni, sed naturæ adscribamus, quæ alias per sudorem *ordinarie* vitam & sanitatem impetrat & adjuvat; *extra ordinem* vero in *multis* casibus eandem *vitam* tuetur & *sanitatem* restituit: quod vero *aliquando* talis sudor minus *prosperè* & dextre decurrat, vel ex *ipsius naturæ* culpa contingit,

tingit, quæ negotia sua *interdum excessive*, quandoque *defective*, nonnuquam *inordinate* perpetrat, vel ex *aliarum* causarum concursu evenit, quando partim in *materia* excernenda, partim in *causis externis* concurrentibus vitium & culpa hæret: neque quidem hæc supervacaneè, aut in *transitu* dicta sunt, sed quo majori acumine, *moderamine* & circumspectione discernatur, quid *boni*, quidve *mali* huic sudori adhæreat, quo deinde *prudens* artifex illud promovere, hoc vero remove valeat, ne natura in *salutari* quodam conatu *opprimatur* & corpus proxime consequenti *interitui* subjiçatur: quales *antipraxes* non *infrequentes* sunt, quæ vero ex illo *primario* errore proflunt, quando *utiles* & *necessarii* actus naturæ pro *superfluis* & *perniciosi* habentur & denigrantur,

§. VIII.

Quamvis hæc, quæ *genericè* de sudore præsentī dicta sunt, *veritati* consona existant, tamen *seorsim* adhuc in uno *nexu* illius sudoris, *legitime* procedentis, *salubritatem* monstrare placet; hæc enim uti *principalis* est disquisitionis, ita penitiorem meretur commendationem, ne *paradoxa* illa videatur assertio, quod hic sudor *insolitus* ad *salutarem* scopum tendat: adeoque pro hac salubritate demonstranda sequentia militant argumenta: 1) quod hic sudor consistat in *tali evacuationis* specie, qualis aliàs ad *vitam* obtinendam & confirmandam *absolutè* necessaria est & cum qua in *ordinario* & *extraordinario* statu & casu materia *mixtioni* animalī *inimica* removeretur: 2) quod hic sudor non obtingat subjectis *enervatis* & necessario virium apparatu destitutis, adeoque minime pro consuetario *debilitatis* declarari debeat, sed quod in *etate* & in *subjectis* sufficienter *vegetis* eveniat, unde pro sudore non *passive* decurrente haberi debet: 3) quod *ante* actualis morbi *invasionem* hic sudor oriatur, adeoque *imminentem* morbum *anticipet*, neque illum admittat: 4) unde si in nonnullis subjectis aliquando plane

emanet, aut 5) si *insufficienter* procedit, tunc *morbos* varios *pedisse* quos habet, qui *propterea* ingruunt, quoniam per *fudorem* talem non *præoccupati* sunt; 6) quod idem *fudor* *sponte* & *citra* ullum *impulsum* oriatur, adeoque ab *altiori* causa ad *singularem scopum* destinatus sit. 7) quod subinde *certo anni* tempore eveniat, quo collecta quædam *recrementa* *commode* evacuari debent: 8) quod *certis horis* inchoet & 9) per *certas horas* *continuet*, ut & 10) *iisdem* *statis* *horis* *repetat*, nec non 11) *congrua* *sua intervalla* *observet*, quibus *necessariæ vires* *comparari*, *conservari* & ita hic *actus* cum *majori euphoria* *administrari* & *absolvi* possit: 12) quod hic *fudore* *facilius* in illis *subjectis* *occurrat*, quæ *plus inquinamenti* & *impuritatis* *collegerunt*, sive ex *intemperie aeris*, sive ex *frequentiori commercio* cum *agrotantibus*: 13) si hic *fudor legitime* *decurrit*, non modo *imminentes* *morbos avertit*, sed & *euphoriam* pro *diversitate ætatum*, nunc *eminentiorem*, nunc *moderatiorem* post se *relinquit*: 14) si vero *vicissim turbatur*, *imminuitur*, *præmature* *cohibetur*, aut *plane* *supprimitur*, tunc *gravia pathemata* *consequuntur*: 15) si *prudens artifex* *hujus sudoris anomalias* *corrigit*, tunc *simul* *illi morbi intercipiuntur*, qui *proximus* *instant*: 16) si etiam *illi morbi*, qui ex *hujus sudoris perturbatione* *orti sunt*, *ita tractantur*, ut *fudor ille legitime* *revertatur* & *rite* *progrediatur*, tunc non modo *illi morbi* *facilius curantur*, sed & *è fundamento* *curantur* & *amissa* *sanitas restituitur* & *restituta confirmatur*: 17) *quamdiu* *hic fudor rite* *continuat*, tamdiu *subjecta à multa morbosa* *afflictione præservantur*, quamprimum vero hic *fudor* *plane cessat*, neque *amplius* *revertitur*, *ex eo tempore* *subjecta morbis* *frequentius* & *acerbius* *conflictari* *inchoant*: 18) quando hic *fudor* in *nonnullis* *subjectis* non *tantum* *euphoricæ* *gradum* *affert*, qualem quidem *optant*, aut *expectant*, tunc ad *minimum* *Deo benedicente* *deteriores* *consecutiones avertit*, quare *euphoria*, quæ *è* *fudore* *tali* *pro-*

provenit, comparanda est cum singulis circumstantiis in
 subjecto obviis, v. g. cum *etate, vitæ genere, vita antea acta,*
morbis prægressis, sensibilitate personali: unde etiam ho-
 mines, qui *nimio* laborum cumulo *defatigantur*, non tam
eximiam utilitatem ex sudore tali expectare possunt, quam
 illi, qui *post hujus* sudoris decursum, *naturæ* aliquam *requi-*
em concedunt, siquidem verum est illud dictærium, man
 könne sich zu tode arbeiten. 19) quod *repentinæ* morbidæ af-
 flictiones, quæ hujus sudoris *turbas* excipiunt & *fontica* il-
 la morborum *specimina singularem* illius sudoris indolem
 denotent 20) quod hic sudor in toto suo processu singulari
 nitatur *sensibilitate & mobilitate*, secundum quam facile
impelli & repelli potest: ex quibus singulis rationibus in
 universo suo *nexu* consideratis concludimus, quod hic fu-
 dor *primario* ad *salutarem* finem destinatus sit.

§. IX.

Hoc ita posito & nunc etiam *demonstrato* facile porro
 liquebit, quod hic sudor ad *naturæ officia* pertineat, quoni-
 am prædictæ qualitates huic sudori competentes, vix *alteri*
 cuidam causæ majori jure & evidentia adscribi possunt:
 hæc enim *natura* hoc ipso actu materiam corpori *inimicam*
 intra aliquem temporis terminum *collectam*, uno *tenore*
 eliminat & *peracto* hoc officio in suo *repurgato* corpore
euphoria fruitur: & cum hic actus *extraordinarius* existat,
 ita eo *extraordinariæ virium* applicationes requiruntur,
 quare proxime *ante* hujus sudoris successum & *sub illo* &
mox post illum aliquales *imbecillitates* coincidunt, cum le-
 ni *animi torpore* conjunctæ, quoniam nunc *alteri* cuidam
 actui *intenta* est *natura*, quæ *solenni* aliquo processu cor-
 poris sui inquinati repurgationem prosequitur: & quo
 magis hic actus *exquisito* quodam *tempore* institutus est,
 eo majori *sensibilitate*, attentione & intentione eidem in-
 vigilat hominis natura, eo magis etiam ægre illius pertur-
 bationem perfert: quod ipsam *materiam* attinet, tunc il-

la non modo in genere pernicioſa, ſed & majori copia & per longiorem temporis ambitum collecta eſt, ut eo magis naturæ interſit, quo illam tam ſolenni proceſſu atque majori quantitate evacuet: etenim hoc ipſo actu contingit, ut illæ ſubtiliores impuritates, quæ prægreſſo autumnali & hyberno aut exeunte æſtivo & initiante autumnali tempore collectæ & relictæ fuerant, nunc tanta aſtività & ſingulari virium applicatione expellantur: quare hic actus excretorius de proſapia criſeos, non vero exquiſite & ſecundum genuinum ac antiquorum ſenſum ſumendo criticus eſt, dum ſtato & determinato, ut & exquiſite diſtincto, aut per anni variationem diſcreto tempore contingit, proinde uno tenore decurrit & tota ſua eſſentia ad ſalutarem eventum tendit, unde latiori ſenſu criticus appellari poſſet: & talem ſonticum proceſſum medici communi & unanimi ferme ſuffragio naturæ adſcribere ſolent, licet deinde diverſitas ſignificatus Naturæ ſinceram hanc declarationem non parum offeſdat: etenim materia peccans non tam enormi quantitate turget, ut propter hanc ſponte effluat, cum viciffim in hiftoria hujus ſudoris abunde conſtet, quod hæc excretio facile retineri & coërceri queat, imo quod certis horis velut per paroxyſmos recurrere & decurrere ſoleat: unde ipſe effectus excretionis neque materiæ nocivæ, neque corpori, ſed præcipue rationali & ſalutari naturæ directorio adſcribi debet: & hæc ipſa in hoc actu exquiſita illa methodo utitur, ut ex una parte hanc materiam ex intimis corporis & latifundio humorum educat & in ignobiliorem regionem, nimirum in peripheriam corporis, transferat, adeoque interiorem nobiliorem corporis regionem & viſcera ab eadem prava materia liberet atque repurget idque tanta aſtività adminiſtret, ut non modo talem evacuationem inchoet, ſed & quantum ſufficit & quantum pro corpore ſalutare eſt, continuat atque abſolvat: ex altera vero parte omnino attentionem meretur illa circumſtantia, quod hic

D

ſu-

sudor illis semper horis ingruat & decurrat, quibus alias in *ordinario* statu natura, cum aliis *fonticis* negotiis non admodum *occupata*, videlicet illo tempore, quando *digestio peracta* est, quando humores, *chylus* & *lympha*, in sanguinem translati sunt, quando cum sanguine *commixti* sunt & quando aliqualis *abstersio* impuritatum a sanguine præcessit: quæ *ratio temporis* non modo pro *salubritate* hujus excretionis militat, sed & insuper evincit & demonstrat, quod hic processus non *alteri* cuidam causæ competat, quam *Naturæ*.

§. X.

Et ita quidem contingit, ut *Natura* tam *exacto* tempore totam humorum *massam* majori *activitate* in *peripheriam* corporis transmittat & ex illa hanc *inimicam* materiam separet, nec non sub *justo tonici* motus *directorio* illam successive eliminat, sed quoniam nullum *periculum* in *mora* est, ita hic sudor sua *intervalla* habet, neque *simultaneo* actu & *tenore* absolvitur, siquidem per modum *alternationis* natura nunc hanc materiam peccantem *abstergit*, resolvit & ad proximam excretionem *preparat*, nunc sub hac *mora* *novas vires* colligit, quo hanc evacuationem *repetere* & continuare queat, nunc illam *actu* per aliquot horas exercet, adeoque & *sibi* & *corpori* suo prospicit, quod extra actualis morbi stadium & statum, hoc negotium morbo *oppositum* perficere & ad *salutarem* eventum perducere possit: & dum hoc tempore in tam singulari *extraordinario* actu excretorio occupata est natura, haud quinquam deterere debet, si *reliquæ* evacuationes & functiones in pristino & *consueto* ordine haud succedunt: inde etiam evenit, ut *hoc tempore*, quo corpus singulari modo *repurgari* debet, non cum *novis* materiis inquinetur, quare *appetitus* tam diu quadantenus *languet*, ubi natura *rationali* & salutaris proposito corpus *deplere*, non vero *opplere* præcipit: & quando talia subiecta simul *plethorica* & ad imminutionem sanguinis

guinis adfucta sunt, tunc etiam evenit, ut hoc eodem tempore, quo *qualitas* humorum repurgatur, etiam *molesta* illorum *quantitas* imminuatur, dum sanguis in *serum* conversus nunc unà cum hoc sudore ejicitur, quare in talibus *plethoricis* sudor hic communiter paulo *copiosior* esse deprehenditur, adeoque *duplicem* utilitatem affert: quod vero interdum sub hoc sudore *aliæ* evacuationes *retineantur*, id ob illum ipsam sudorem contingit, quo videlicet natura eo *majori* & *proximiori* applicatione eundem administrare & in *externum* corporis ambitum humores suos dirigere queat: etenim dum *uni* negotio natura *magis* est intenta, *minor* est ad *singula* sensus: proinde in *aliis* locis *parcius* serum excernitur, quo sufficiens humiditatis *vehiculum* reliquæ materiæ *nocivæ* evacuationem promptiorem *adjuvet*: quod si etiam subjectum alias de *majori* humiditatis copia participet, tunc sudor hic *largior* esse observatur: interim etiam aliquando accidit, ut natura *salutarem* finem *impetuose*, immoderatè & *excessive* prosequatur, proptereaque eventu prospero atque utili destituatur, qui *error* naturæ a *ministro* ipsius videlicet *medico*, *tempestive* & *dextre* corrigendus est: si materia peccans de multa *impuritate sulphurea* & valde *fermentativa* participat, tunc sudor hic sub reliqua *intensiori* humorum commotione *adversum odorem* emittit: neque etiam negari potest, quod natura ob *extraordinarium* hunc actum tandem *quadante* *minus enervetur*, finis interim coronat opus & obtenta huius perniciosæ materiæ *evacuatione* & connexa corporis repurgatione, *indies* necessarius *virium apparatus* compensatur: quod vero sub hoc processu & durante hoc sudore *animus in moralibus* negotiis non ita *vegetus* & *alacris* existat, ipsa illa *occupatio major* in vitali negotio causatur, qua *rite* absoluta reliqua *animi alacritas* denuo revertitur.

Si itaque hic fudor *Naturæ actus* & subinde ad *salutarem* scopum directus est, tunc illius *turbatio*, imminutio & suppressio non nisi *perniciosarum* & *periculosarum* consecutionum causa evadit: ejusmodi *morbidae* consecutiones consistunt vel in *secessionibus* & *translationibus* humorum, vel in *vicariis* moliminibus *excretoriis*, *congestoriis*, *spasticis*, *inflammatoriis*, *febrilibus*, vel in *vicariis actualibus* excretionibus, velut *diarrhœa*, *tussi* humida, *coryza* modo rhevmatica modo chronica: quando enim in una regione aut ex *uno loco* natura *turbatur*, tunc conatum suum, corporis *integritatem* concernentem & circa *salutarem* evacuationem occupatum in *aliam* regionem dirigit; hinc mutantur *præcedentes* directiones motuum vel ab externis in *internas* regiones, vel ex *universali* ambitu corporis in *particulares* etiam *externas* regiones: unde minime tam *crasso* atque *crudo* modo, prout forte concipi posset, *retrolapiones* humorum in præsentī casu sub hætenus recensitis circumstantiis contingunt: etenim quando *ultima* evacuatio materiæ *peccantis* è peripheria corporis *præcluditur*, tunc in nonnullis subjectis sequitur *translatio* humorum *intra* pectus, cum effectu *oppletionis* humorosæ & connexæ evacuationis mucido-ferosæ, aut *infarctus* pectoris cum *asthmatica* afflictione conjuncta, aut commotio *congestoria* & *spastica* in pectore & hujus confiniis operosa, sub diverso *corrupto* schemate *morboso* obvia: aliquando vero hæc *perturbata excretio* a natura propius in *externo* corporis ambitu urgetur & quidem nunc *spasticis* motibus, tanquam *eminentiori tonici* motus augmento, siquidem ipse hic fudor, ministrante hoc tonico motu, exquisitius ad hunc effectum *directe* absolvitur: quando itaque *salutaris* hic fudor *perturbatur*, tunc salutari etiam conatu hic motus *augetur*, quo præsens *difficultas* superetur: inde evenit, ut natura nunc *intensiori* & *impatientiori* tonici motus

tus gradu illum effectum *urgeat*, a quo *sensibiliter* & cum eximio *damno* atque præjudicio *turbata* fuit: exinde oriuntur affectus *arthritici*, *arthritico-rheumatici*, *ischiadici* & hujus conditionis alii: quid quod evenit, ut post hanc inductam turbam natura semel *præfixum* scopum in diffuso & *universali* corporis ambitu *prosequi desinat*, sed nunc in *particularem* corporis *externam* regionem decumbat & in eadem *vicario* actu cum eximia *impatientia* & contumacia eundem *excretorium* actum exequi studeat, inde oriuntur modo *congestionem*, *rheumatismi*, *spasmi fixi*, modo *contracturæ* & denique consequentes *ariduræ* in certis *externi* corporis locis: aliquando natura in hoc sudore *turbata*, ab externo corporis ambitu in *intimiora* loca & *viscera* fugit & motum *excretorium* *prosequitur*, inde oriuntur *spasmi* & *tormina* in *hypochondriis*, in *mesenterio*, *intestinis*, quid quod plane *actuales alvi fluxus* consequuntur, quibuscum materia peccans in consortio feri jam constituta nunc etiam in colluvie illa mucido serosa evacuatur: quare *plurimi* morbi qui hujus sudoris *anomalias* excipiunt, nihilominus illius *successum* respiciunt & cum hoc *coherent*, adeo ut in *corrupto* etiam suo statu tamen *eminus* corporis *salubritatem* pro suo scopo habeant, qui finis tamen in *nexu* horum morborum cum sudore illo perturbato annotandus est: neque etiam mirum esse debet, cur in *consequentibus* talibus morbis tam *refractoriæ*, immoderatæ & contumaces commotiones coincidant, dum in *præcedenti salutaris* sua intentione & contentione tam *eximie alterata* natura, non potuit aliter, quin ob singularem suam *sensibilitatem* hanc offensionem *agerrime* perferat, eidemque *omnibus viribus* sese opponat & semel *propositum* suum finem omni *impatientia* *prosequatur*: quæ *rationalis* deductio, ne *imaginaria* esse perperam declaretur, cum *indole animæ* apprime *convenit*, siquidem in *moralibus* negotiis *eadem* *methodus* *indies* *occurrere* solet;

hinc tales actiones *homini* sunt familiares, adeoque cum toto *reliquo statu* sudoris hujus, de quo nobis sermo est, exacte & *sine metaphora* aut lepida assimilatione conveniunt.

§. XII.

Missâ hac Pathologica hujus sudoris explicatione ultimum superest, quo nunc ad *Practicam* illius directionem progrediamur & demonstretnus, quomodo hic sudor aut *dextre* aut *sinistre* procedens *tractandus* sit: & quo *in ordine congruo* maneamus, indicabimus *antea* nonnullos *ausus* practicos, qui huic sudori *contrariantur* eundemque *perturbare* possunt: *nocent* itaque in therapevtica hujus sudoris directione omnes *fortes* commotiones corporis, cum *impetuosâ excretionem* conjunctæ, maxime quidem indiscreti conatus *emetici* & *catartici*, quippe qui in *interiora* motus *seducendo* excretionem, in *superficie* corporis præstandam, *turbant*, aut qui cum *immoderata* sua aggressionem, liberam & *placidam* methodum, qua hic sudor absolvendus & tractandus esset, *invertunt* & naturam *in modo, gradu & ordine* observando *confundunt* atque moleste incitant, ut propositum suum *sinistre* prosequatur & exequatur: proinde etiam *obsunt* *regimina* & *medicamina fortius & impetuosius diaphoresin* invitantia & impellentia, quæ naturam ad perniciosum *excessum* seducunt, ut non modo *peccans* materia *confuse* expellatur, sed una *utiles* humores & necessariæ materiæ cum *detrimento sanitatis* eliminantur, insuper etiam *necessariæ vires* graviter dilapidantur, adeoque loco consequentis *euphorie* eximium *damnum* superveniat: *omittantur* porro omnia remedia *massam sanguineam* fortius, *immoderatus* & molestius commoventia & *turgescentia*, velut valde *concentrata*, admodum *calefacientia*, *volatilia oleosa* & similia, quæ ob nimium *impulsum* naturam ad *anomalicam* sui scopi prosecutionem invitant: *seponantur* præterea singula *talia nervina*, quæ

quæ prædictæ qualitatibus sunt, qualia potius, dum motus nimium incitant, vires enervant, quam roborant: siquidem subinde omnis præmaturus nervinorum usus vix facile ad exoptatum & utilem effectum pertingit: absint omnia interna & externa incrassantia, refrigerantia & adstringentia, quando hic sudor rite procedit, qualia remedia eundem impediunt, præmature coercerent & naturam in hoc salutari negotio opprimunt: maxime vero fugienda sunt narcotica, quæ tam sensibilem & singularem actum pessime confundunt, corrumpunt & morbos valde refractarios & corruptos causantur, quid quod naturam in tam laudabili & salutari extraordinario opere adeo extreme turbant atque corrumpunt, ut eadem in ordinariis reliquis functionibus administrandis tota torpida & confusa reddatur: officiant communia martialia, quæ ad liberum hujus sudoris successum directe nihil utilitatis conferunt, sed longe facilius naturam in hoc opere admodum sensibilem & activam ad suspectam aliquam occlusionem & adstrictionem seducere & allicere possunt: nocent etiam antihæctica vulgaria, quæ de profapia exsiccantium & adstringentium sunt, adeoque legitimum hujus sudoris decursum præmature & cum damno coercerent: valde etiam nociva sunt regimina negligentiora & laxiora, quæ perinde hujus sudoris legitimam progressionem & continuationem turbant: officit multus, sollicitus & confusus remediorum usus, quando jam per se sudor talis dextere procedit: magnum damnum affert omnis simultanea hujus sudoris suppressio: turbant etiam eundem sudorem sanguinis missiones, quæ hoc tempore inopportune sunt, quando jam natura cum repurgatione corporis & hac speciali evacuatione occupata est.

§. XIII.

Ast quo nunc propius ad medicam hujus sudoris tractationem accedamus brevibus acturi, quomodo hisce subjectis quæ legitimo tali sudore gaudent, subveniendum &

& consulendum sit, deinde quomodo *turbato* huic sudori prudens artifex succurrere debeat: quod *primam* circumstantiam attinet, tunc *triplex* consideratio instituenda est, *primo* quomodo *corpus* ad *salutarem* hanc excretionem *preparari* debeat, *secundo* quomodo *subjecta* *sub* hoc *sudore* tractanda sint, *tertio* quæ *post peractum* hunc sudorem observare conveniat: quod *primam* animadversionem concernit, tunc illa *subjecta*, quibus constat, quod ad hunc sudorem *disposita* sint, tempestive *primas regiones* a *fordibus biliosis & serosis* repurgare debent, quo conveniunt remedia rhabarbarina, polypodiata, tamarindinata, ut & salina tartarifata & fennata: deinde profunt medicamenta humores ad *futuram* talem evacuationem *disponentia*, illorum *acrimoniam* temperantia & nexum cum reliqua massa *resolventia*, talia sunt absorbentia teneriora & cum acidis attenuata atque maritata, salia digestiva, nitrum depuratum & antimoniatum, lapis prunellæ, antimonium diaphoreticum: porro decocta e Cichorio, Apio, Scorzonera, herb. scordii, veroniæ, C. C. raspato, passulis Maj. & min. cort. citri, cinnam. flor. sambuc. cent. min. calend. sem. fœnic. parata: non minus conferunt *gelatinæ* liquidæ, *juscula* mucilaginosæ, avenacea, gallinacea, hordeacea & *modicus* usus *lacticiniorum*: præterea prospiciendum est, ne alvus *obstruatur* & suspecta *strictura* tenacius occludatur, siquidem melius est, si *ordinariæ* excretiones non suspecte *retinentur*: deinde *peripheria* ab omni ominosa *constrictione* præservari debet, præstat propterea *congruo regimine* uti, *sensibilem* internam & externam *refrigerationem* arcere & debitum humorum *transiium* in peripheriam corporis conservare; huc etiam quadrant modestæ *frictiones* superficiei & *potus* decoctorum temperantium & diluentium: quando vero nunc sudor *succedit* indiesque *repetit*, tunc servanda est *bona dieta*; excludendo cibos *operosam* concoctionem requirentes, spissos, sic-

cos, crudos & multas *impuritates* continentes; feligen-
do potius *evpeptos*, liquidos, temperatos, tenuem mucila-
ginem & temperatam gelatinam possidentes, non ma-
gna quantitate ingerendos & præstat potius hoc tempo-
re, *quamdiu* hic sudor durat, non *multis* cibis ventriculum
onerare, sed rectius *abstinentiæ* studere; quo natura eo
melius opus suum absolvere possit: *potus* adhibeatur *suffi-*
ciens, *temperatus* & purus non vero valde frigidus: maxi-
me quidem præstat *vesperi* cibum *parcius* assumere, quo
sub majori *virium apparatus* natura sudorem talem profe-
qui valeat: *sub sudore* jam actu prorumpente, nil nisi *bo-*
num regimen ordinandum est, ne videlicet cum *rigoroso* &
anxio regimine ipse *impetuosius* provocetur; hinc potius
sufficit sub *moderata* corporis obtectione & *quæte* placidum
illius sudoris successum admittere, multo minus *præmatu-*
re illum interciperi convenit, aut in *medio* ipsius cursu at-
que successu *turbas* immiscere, vel suspectare *refrigeria* quæ-
rere, sed quemlibet talem paroxysmum cum patientia, qui-
ete & *moderamine* ad *exitum* suum promoveri: in nonnullis
hic sudor per *unam*, in aliis per *plures* horas *indies* continu-
at: præstat itaque eundem non *simul* & *semel* opprimere,
sed *successive* ad modestam *requiem* componere: pro-
xime vero expedit corpus bene & citra sensibilem
refrigerationem abstergere & per reliquum tempus
in *constanti moderata* transpiratione conservare, ne
videlicet *prægressum* sudorem rigida superficie *obstructio*
excipiat: deinde *quies animi* & *corporis* per reliquum diei
terminum observanda est: adhibeantur postea *juscula gal-*
linacea, *gelatinæ domesticæ passulatae*, pultacea liquidiora,
lacticia temperatiora: *carnium* esus *hoc* tempore non sit
frequens & *multus*: *virium* ratio habeatur cum usu *vini boni*,
modica quantitate assumendi, nec non cum *diæteticiis* admi-
niculis & prædicta necessaria *requie* ac *animi* delectatione:
non minus in quibusdam subjectis per reliquum diem ex-
hibe-

hiberi potest pulvillus ex oc. 69. citr. corall. rubr. præparat. & nitr. depur. aut in quibus magna humorum *colluvies* præsumitur in illis *extra* hujus sudoris decursum semel per diem admittitur miscela ex Essentia pimpin. alb. vince-toxic. & fucin. modica quantitate exhibenda: sudor ipse admittatur *tam diu sponte* & moderate *recurrat* & *decurrit*: quando vero penitus *cessat*, tunc *bona dieta* est continuanda, *ordinariæ* excretiones sunt adjuvandæ, corpus non cum *nimio ciborum* apparatu onerari debet, *animus* indulgeat *quieti* & tranquillitati, neque *aliæ* virium *ener-vationes* admittantur, subinde *interna* & *externa refrigeria* excludantur & *reliqua virium* roboratio magis *e culina*, quam pharmacica seligatur: non malè circa totum *exitum* hujus processus ad *confortandum* adhiberi potest mixtura è Tinctura antimonii tartarifata, Spiritu C.C. & Ess. Succin. aut in subjectis *phlegmaticis* miscela ex Ess. pimp. alb. caryophyllatæ, vincetox. gentian. rubr. succin. lign. Sassafr. & spiritu salis Ammoniaci parata, aut Liquor C.C. succinatus.

§. XIV.

Quando hic sudor diversis *anomaliis* subjectus fuit, tunc ex officio *prudentis* artificis fluit, quo iisdem ita subveniat, ne *salubritatem* hujus sudoris illæ penitus *extinguant* & in actuale *damnum* convertant: si itaque in *primo* suo accessu hic sudor *difficiliter* succedit, tunc eidem subvenire licet cum decoctis aut infusis *calidis diluentibus* partim & massæ humorum sufficientem *mobilitatem* conciliantibus, partim proximam *diaphoresin* adjuvantibus; quo spectant species pro decocto ex rad. bardan. apii, cichor. liquirit. scorzon. tarax. chin. herb. scord. chæref. veronic. cent. min. flor. sambuc. helen. sem. carv. fœnic. bacc. laur. Cort. citr. cinnam. Lign. Sassafr. Santal. citr. Junip. non minus in hoc casu convenit usus Tincturæ temperatæ alexipharmacæ aut Bezoardicæ, aut miscela Essentiarum Ari, he-lenii,

nii, vincetox. caryophyllat. carlinæ, pimp. alb. scord.
lign. sassafr. & spir. sal. ammoniac. aut in subjectis phlegma-
ticis mixtura ex Ess. pimp. alb. vincetox. ari. fumar. lign.
Sassafr. myrrh. vel etiam croci; proinde conferunt mode-
stæ *frictiones* superficiei, ut & *balneorum* domesticorum
temperatus usus, quæ cum herbis domesticis temperatis
nervinis misceri possunt: quando hic sudor in *excessu* pec-
care solet, tunc conferunt *temperantia*, ut pulveres ex
Conch. præparat. Corall. rubr. præparat. & nitro depura-
to, quibus successive *selecta tonica* sociari possunt & ex il-
lis præcipue species de hyacinth. non minus in hoc casu
conferunt Julapia conficienda e Phlegmate vitrioli, aquis
destill. scabios. plantag. millefol. rosar. cinnam. cydoniat.
fyr. rub. id. papav. errat, aut potiones ex ejusmodi aquis
parandæ, additis confectione de Geminis, fyr. papav. errat.
corall. rubr. præparat. C. C. ust. huc spectat Tinct. Corallo-
rum, Tinctura martis cum succ. pom. aut Emulsionem ex
prædictis aquis destillatis, sem. amygd. dulc. pinear. papav.
alb. matr. perl. præparat. C. C. ust. spec. de hyacinth. & tra-
gacanth. solut. factæ, quæ singula remedia hunc *excedentem*
sudorem mitigant: porro in *eodem* casu conferunt *lenes*
laxationes, nec non remedia salina mitius *diuretica*, natu-
ram e *peripheria* in *alias regiones* aliasque excretionum
species ducentia: quodsi denique hic sudor *præmature*
suppressus fuerit, tunc in *genere* usurpanda sunt, prout cir-
cumstantiæ admittunt lenia *laxantia*, deinde remedia ano-
malos motus tempestive *temperantia* & sic dicta *antispasmo-*
dica: decocta *lenientia*, *gelatinosa* & mitius *diaphoretica*:
medicamenta humorum *acrimoniam* corrigentia, diluen-
tia & temperantia, auxilia *transitum* humorum in *periphe-*
riam paulo *intimius* invitantia, *balnea* æque ac moderatæ
frictiones peripheriæ, remedia humores *colliquantia*, *resol-*
ventia & ad diaphoresin *præparantia*, emulsiva & mucila-
ginosa dilutiora massam sanguineam a corruptionis com-

minatione *præservantia*; quibus singulis accurata *dieta* coniungenda est, quo sub iusta *humorum mobilitate*, *periphere-
rie permeabilitate* & *naturæ activitate* illa *turbata* diaphoresis demum compensetur & in supplementum alterati illius sudoris quadantenus invitetur: & hæc *generica* est methodus, qua *pravis* illis confectariis e *turbato* hoc sudore metuendis & expectandis resistere & subvenire convenit: plura hac occasione addere non lubet, dum *principalissimas* circumstantias ad *practicum* hoc thema pertinentes attigimus & commendavimus: uti vero juxta Ciceronem a Iove principium de Iove finis est, ita circa finem hujus disquisitionis ad Deum confugimus eidemque pro præstito ad hunc laborem auxilio humillimas agimus gratias, quem præsentem nostrum laborem una cum reliquis nostris conatibus perpetuæ benedictioni divinæ ita commendamus, quo hac ipsa nostra opella gloria altissimi & proximi commodum promoveatur & adjuvetur.

